



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm
Christianarvm Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. IIIX. Metaphrasis Gregorii Martyris & Episcopi Neocaesareae, & fides.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

dam ecclesiam rupes obesset, pernoctans in oratione, transtulit rupem. Item cum per Alpes transiret aliquando, necessitate nivium coactus, ad fanum divertit Apollinis, ibique pernoctat. Quo mane recedente Dæmon poscitur dare responsa, ut prius, sed obmutescit. Consulitur à Sacerdote, opponit titulum adventus Gregorii. Mox sacerdos occupat viam, pervenientis ad Gregorium, querelam expulsi numinis exponit, quæstumque deplorat amissum. At ille scribit Epistolam in hæc verba. **GREGORIUS APOLLINI.**
*Permitto tibi redire ad locum tuum, & agere quæ consuevi-
 sti. Hanc Sacerdos ad fanum fert Epistolam, ponitque
 juxta simulachrum. Adest iterum Dæmon, iterum dat
 responsa. Tunc Sacerdos in se metipsum conversus
 ait: Quomodo non multo melior est Gregorius isto Apolline,
 cuius obtemperat iussis? Et descendens eadem hora ad
 Gregorium, referensque Epistolam, rem ordine pan-
 dit, utque se offerat Deo, rogat. Tunc relicta genti-
 litate, factus est ab eo catechumenus, & cum se castissi-
 mæ vitæ & abstinentissimæ mancipasset, etiam bap-
 tisma consequitur, & in tantum fide & virtute profi-
 cit, quod beati Gregorii successor in Episcopatu effi-
 citur. Sed & idem Gregorius ingenii sui nobis in par-
 vo maxima monumenta dereliquit.*

C A P. IIX.

*Metaphrasis Gregorii Martyris & Episcopi
 Neocæsareæ, & fides.*

K

In

In Ecclesiasten namque Metaphrasin scribit magnificentissime, & Catholicæ fidei expositionem, breviter ista continentem: *Vnus Deus, Pater verbi viventis, sapientiae subsistentis, & virtutis suæ & figuræ, perfectus perfecti generans, pater filii unigeniti.* *Vnus Deus solus, ex solo Deo, figura & imago Deitatis, verbum penetrans, sapientia comprehensio omnia, & virtus qua tota creatura fieri potuit.* *Filius verus veri, & invisibilis ex invisibili, & incorruptibilis ex incorruptibili, & immortalis ex immortali, & sempiternus ex sempiterno.* *Vnus Spiritus Sanctus, ex Deo substantiam habens, & qui per filium apparuit, imago filii perfecta, viventibus causa sanctitatis, sanctificationis præstatrix: per quem Deus super omnia & in omnibus cognoscitur; & filius, per quem omnia.* Et Trinitas ista perfecta maiestate, & sempiternitate, & regno, minime dividitur, neque ab alienatur. Igitur neque factum quid aut feriens in Trinitate, neque superinductum, tanquam ante hac quidem non subsistens, postea vero super ingressum. Neque ita defuit unquam filius patri, neque filio Spiritus Sanctus, sed inconvertibilis, & incommutabilis, eadem Trinitas semper. Haec tenus de Gregorio. Galienus Imperator, regnantis x v.

C A P. IX.

De obitu Dionysii Episcopi Alexandriæ, & successione Maximi.

Interea Dionysius apud Alexandriam in pace ecclesiastica diem obiit, decem & octo annis funeris sacerdotio. Maximus succedit. Claudius regnat annis duobus.

CAP.